

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXIX - N. 1

---

2007

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNII 2007

Tariffa R.O.C. - Poste Italiane S.p.A. - Spediz. Abb. Postale D.L. 353/2003  
(Conv. in L. 27/02/2004) - art. 1 comma 1 - DCB Roma

## EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae <i>De aliquibus mutationibus in normis de electione Romani Pontificis</i> . . . . .	5
Excerptum ex Adhortatione Apostolica Postsynodali <i>Sacramentum caritatis</i> ad Episcopos, sacerdotes, consecratos consecratusque necnon christifideles laicos de Eucaristia, vitae missionisque Ecclesiae Fonte et Culmine . . . . .	7
Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administratos Advocatosque Rotae Romanae coram admissos 27 ianuarii 2007 . . . . .	17
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui partem habuerunt in Congressu Internationali, a Pontificia Universitate Lateranensi promoto, de themate: <i>La legge morale naturale</i> , 12 februarii 2007 habita . . . . .	22
Allocutio Summi Pontificis ad Suam Beatitudinem Isaac Cleemis Thottunkal, novum Archiepiscopum Maiores Trivandrensem Syrorum-Malankarensium, 28 maii 2007 habita . . . . .	25
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui convenerunt ad Congressum Nationalem, promotum ab Unione Iuristarum Catholicorum Italiae, coram admissos in Aula Benedictionum 9 decembris 2006 . . . . .	27

## EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	30
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	31

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS: <i>Ordo Synodi Episcoporum</i> . . . . .	33
CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM: <i>Communicatio</i> . . . . .	56
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA – PONTIFICIUM CONSILIUM DE SPIRITUALI MIGRANTUM ATQUE ITINERANTUM CURA Epistula communiter exarata quoad pastoralem migratoriam in formandas futuris sacerdotibus necnon diaconis permanentibus . . . . .	64
SUPREMUM TRIBUNAL SEGNATURAE APOSTOLICAE: <i>Declaratio</i> . . . . .	66
PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM Communicatio quoad supprimendum titulum «Patriarca d'Occidente» in <i>Annuario Pontificio</i> . . . . .	68
PONTIFICIUM CONSILIUM DE SPIRITALI MIGRANTUM ATQUE ITINERANTUM CURA Excerptum ex documento quod inscribitur <i>Orientamenti per una pastorale degli Zingari</i> . . . . .	70
EX EPHEMERIDE L'OSSERVATORE ROMANO De publicatione voluminis, quod inscribitur «Conciliorum Oecumenicorum Generaliumque Decreta», Professoris Joseph Alberigo cura apparati . . . . .	81

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio VI) . . . . .	84
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio VII) . . . . .	122
NOTITIAE . . . . .	167
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	169

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

## COETUS STUDII «DE PROCESSIBUS»

Sessio VI<sup>a</sup>  
(diebus 10-15 februarii 1969 habita)

Diebus 10 ad 15 februarii 1969, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. « De processibus ».


Conventui intererant Exc.mi DD.: Aurelius Sabattani, Relator, Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Damizia, Iosephus Pinto, Stephanus Kelleher, Georgius Bateh, Iosephus De Castro Nery et Ioannes Barry; Rev.mus P. Christophorus Berutti, necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis et Rev.dus D. Franciscus Voto, actuarius.

Primae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Commissionis Praeses, ceteris adunationibus autem praefuit Rev.mus Bidagor.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae sunt sequentes:

- a) de sententia (cann. 1868-1877);
- b) de appellatione (cann. 1879-1891);
- c) de querela nullitatis contra sententiam (cann. 1892-1897);
- d) de oppositione tertii (cann. 1898-1901);
- e) num normae de transactione atque de compromisso in arbitros tradi-  
ci possint ad initium primae partis de iudiciis in genere, sicuti factum est  
in Codice Orientali;
- f) num structurae sectionis de iudiciis specialibus eadem, prout nem-  
pe in CIC exstant, servandae sint.

Omnes Consultores votum de propositis quaestionibus paraverunt.  
Etiam P. Regatillo, qui Sessioni interesse non potuit, votum suum miserat.  
De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit, manifestando  
sententias Consultorum et suam quoque sententiam circa singulas quae-  
stiones.



**Adunatio I<sup>a</sup>**  
**die 10 februarii 1969 mane habita**

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit ab Rev.mo Relatore ut proponat quaestiones examinandas.

Rev.mus Relator meminit adhuc examinandas esse aliquas quaestiones quae in praecedenti Sessione non absolutae fuerunt, scilicet de processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione, necnon de sententia.

CAPUT VII  
*De processus publicatione, de conclusione  
in causa et de causae discussione*

Antequam singuli canones examinentur, duae quaestiones generales habentur:

*a)* Rev.mi primus et secundus Consultores ad vitandam praesentationem novorum testium forsitan suspectorum, volunt quod publicatio processus et conclusio in causa coincidant quoad tempus, imo quod conclusio praecedat publicationem.

Adnotat Rev.mus secundus Consultor adesse semper possibilitatem novarum probationum ex can. 1861.

Finis intentus, dicit Rev.mus Relator, est optimus, periculum denuntiatum est concretum, sed forsitan medium propositum incidit in aliam difficultatem, nempe in privationem iuris contradicendi.

Si quis, conventus, comperit ex publicatione actorum quamdam epistulam apocripham sibi falso tributam, non haberet facultatem probandi illam falsitatem, si iam haberetur conclusio in causa. Neque succurreret, in casu, can. 1861, qui loquitur quidem de documentis novis, sed praesentandis, non vero contradicendis.

Si vero dilatari deberet can. 1861, periculum idem esset.

Ceterum praesentatio testium post publicationem non est libera, sed limitata a can. 1786.

Si vero acceptatur nostra propositio de sessionibus apertis patrono partium, iam reducitur supplementum instructionis post publicationem.

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

*b)* Rev.mus tertius Consultor vellet mutare inscriptionem capitis, et arguendo a nigro ad rubrum, dicere: «*De probationum publicatione*».

Sed forsitan, dicit Rev.mus Relator, nigrum non est perfectum. Reapse in Instr. *Provida Mater* dicitur «communicatio *actorum* inter partes». De facto multa publicantur quae non sunt probationes, ex. gr. libellus, concordatio dubiorum, instantiae, decreta.

Animadversio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

*Cann. 1858-1859: publicatio processus*

Rev.mus Relator, Rev.mum quartum Consultorem sequens, proponit ut ex duobus canonibus unus fiat his verbis:

«§ 1. Ante causae discussionem omnes probationes quae sunt in actis et adhuc secretae permanerunt, sunt publicandae, *ut partes sese defendere possint; aliter iudicium nullius est momenti.*

§ 2. Publicatio processus fit concessa partibus earumque advocatis *licentia acta iudicia*lia inspiciendi petendique eorum exemplar».

Ratio unionis duorum canonum est quia primus de *necessitate*, alter de *modo faciendi* publicationes agit. Obiectum ergo est idem, quod in duabus paragraphis distribui potest.

Omnes Consultores concordant circa unionem duorum canonum.

Circa formulam vero sequentes animadversiones habentur:

– Rev.mus quintus Consultor proponit: «... et *etiam* secretae permanerunt...», loco «*adhuc* secretae...». Sed Rev.mus Secretarius censet ut sane verbum «*adhuc*» supprimatur quin substituatur.

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

– Rev.mus sextus Consultor, cui accedunt Rev.mi septimus et secundus Consultores, censet clausulam irritantem «aliter iudicium nullius est momenti» non apte a can. 1861 ad praesentem canonem transferri posse. Talis enim clausula merito in can. 1861 ponitur, cum agatur ibi de *novis* probationibus post conclusionem in causa inhibitibus, quae certo admitti non possunt quin altera pars illas cognoscat ad effectum suae defensionis. Sed si clausula invalidans sese referat ad *omnes* probationes quae sunt *in actis*, sicut Rev.mi Relator et quartus Consultor proponunt, id non sine incommodo fieri potest, quia augeret occasiones nullitatis iudicii.

Rev.mus Secretarius animadversionem Rev.mi sexti Consultoris probat et meminit leges irritantes ad minimum reducendas esse iuxta *Principia quae CIC recognitionem dirigant*.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> *Principia quae CIC recognitionem dirigant*, *Communicationes*, I (1969), 77-85.

Rev.mus primus Consultor propositionem Rev.mi Relatoris probat, dummodo agatur de illis probationibus quae influunt in sententiam.

Tunc Rev.mi Relator et quartus Consultor proponunt ut talis clausula irritans transferatur ad can. 1892, et in praesenti canone, loco illius clausulae dicatur: «attento etiam praescripto can. 1892».

Haec ultima propositio omnibus placet.

Rev.mus quintus Consultor tamen vellet verbum «salvo» loco «attento».

Formula § 2 omnibus placet. Tantum Rev.mus octavus Consultor vellet verbum «ius» loco «licentia» quia, dicit ipse, «licentia» sapit triumphalismum.

Tandem quoad hunc canonem Rev.mi primus et nonus Consultores proponunt ut consideretur possilitas subtrahendi publicationi quasdam probationes ad damna vitanda.

Quaestio, dicit Rev.mus Relator, est antiqua et insoluta, etiam post art. 130 Instr. *Provida Mater*. Nam patroni renuunt acceptare iusurandum secreti etiam cum cliente, quia, absque elementis quae tantum cliens offerre potest, defensio est necessario manca et deficiens et ius defensionis infirmatum. Proinde res committi debet discretioni patroni (cfr. S.R.R. c. Graziali, 5 augusti 1940).

Instat Rev.mus nonus Consultor qui notat aliquando publicationem fieri non posse ad servandam confidentiam professionalem ex.gr. de regestis medicorum datis Tribunali sub conditione nemini revelandi informationem in iis contentam.

Rev.mus Secretarius proponit ut perpendatur num res dirimi possit per additionem horum vel similium verborum:

«...nisi in adjunctis peculiaribus periculum adsit damni inferendi partibus. In hoc casu communicatio soli patrono fieri potest eidemque committitur ut partis defensionem quam efficacius procuret».

Ipse Rev.mus Secretarius tamen animadvertisit talem additionem aptius fieri posse in parte speciali de processu matrimoniali.

#### *Can. 1860: conclusio in causa*

Rev.mus Relator proponit ut canon servetur prouti est, mutata tantum fine § 1, ubi loco: «deveniendum est» dicatur «devenitur», ad innuendam formam dynamicam et autonomam huius conclusionis in causa.

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet, excepto Rev.mo sexto Consultore, qui integrum canonem retinere vellet etiam quoad verba «deveniendum est».

*Can. 1861: novae probationes post conclusionem in causa*

a) Rev.mus secundus Consultor vellet quod periodus probatoria numquam clausa esset pro defensore vinculi, vi canonis 1969.

Ast hoc nimium videtur, dicit Rev.mus Relator, imo aperte contrarium paritati iurium quae vigere debet inter partes et illos qui repraesentant publicum interesse.

Ceterum can. 1969, n. 3, admittit quod vinculi defensor possit inducere testes «processu etiam absoluto *vel publicato*», sed facultatem non extendit ad tempus successivum conclusioni in causa.

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

b) Rev.mi quartus et secundus Consultores proponunt ut clare edicatur facultas iudicis proponendi probationes in hoc stadio processus.

Rev.mus Relator suggestionem probat tantum quoad causas boni publici et sequentem formulam proponit:

§ 1. prout est, additis in fine his verbis: «... aut de supplendis a iudice probationibus in causis boni publici».

§ 2. prout est, suppressis ultimis verbis: «aliter iudicium nullius est momenti», de quibus, uti dictum est, ratio habenda erit in can. 1892.

Formula omnibus placet, excepto Rev.mo secundo Consultore, qui retinere vellet verba: «aliter iudicium nullius est momenti».

*Can. 1862: termini ad animadversiones*

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

a) Verba «pro suo prudenti arbitrio» vim iuridicam non habent et tolli possunt, quia semper iudex agit pro suo prudenti arbitrio (Rev.mus tertius Consultor).

b) Cum promotor iustitiae atque defensor vinculi iudicio intersunt, abs dubio congruum quoque tempus illis est assignandum pro suis animadversionibus exhibendis, sicuti assignatur partibus vel earum patronis. Ergo in hoc canone illi quoque memorandi sunt (Rev.mus quartus Consultor).

Rev.mus Relator has animadversiones probans, sequentem formulam proponit quae omnibus placet:

«§ 1. Facta conclusione in causa, iudex partibus vel earum patronis, necnon promotori iustitiae ac vinculi defensori, si iudicio intersint, congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas vel animadversiones exhibendas.

§ 2. Hic terminus, sicuti alias de quo in can. 1865, § 1, prorogari a iudice potest, instantे una parte, aut promotore iustitiae vel defensore vinculi, aliis auditis; vel etiam coarctari, consentientibus tamen omnibus».

*Can. 1863-1864: quomodo defensiones exhibeantur*

Rev.mus Relator notat canones 1863-1864 continere dispositiones minutissimas in materia nullius momenti, quae apte remitti possunt ordinationibus iuris particularis vel ipsius tribunalis.

Ideo proponit formulam breviorem quae ambos canones amplectit:

«§ 1. Defensiones et animadversiones sint in scriptis, veritati, claritati ac iuri conformes, logice ordinatae, breves et subscriptae ab auctore.

§ 2. Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimantur, praevia iudicis licentia requiritur, salva secreti obligatione, si qua sit servanda.

§ 3. Quoad extensionem defensionum, numerum exemplarium, aliaque huiusmodi adiuncta, servetur ius particulare vel ordinatio tribunalis».

Formula omnibus placet.

*Can. 1865: de responsionibus*

Rev.mus Relator hanc formulam proponit quae omnibus placet:

«§ 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus, utriusque parti responsiones exhibere licet, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 1863.

§ 2. Prout est, mutato ultimo verbo «censeatur» in «censemur».

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum replicandi partium responsionibus».

*Can. 1866: de discussione orali*

Rev.mus Relator, Codicem Orientalem sequens (can. 390), parvas mutationes proponit quae potius ad formam attinent.

Sed Rev.mus octavus Consultor, ex praxi anglo-saxonica arguens, substantiales mutationes inducere vult, quia discussiones et informationes privatae inter iudices et advocatos multum conferre possunt sive ad vitandam prosecutionem iudicij sive ad ordinatum progressum causae, dummodo utrisque partibus eadem facultas sit.

Em.mus Praeses monet Consultores ut considerationem intendant in propositionem Rev.mi octavi Consultoris, quia fortasse norma CIC sapit aliquantulum diffidentiam contra advocatos. Ex alia parte caveri debet ne advocati ad aures iudicis suggestiones ingerant quae illum a iustitia facienda avertant.

Rev.mus Secretarius proponit ut Rev.mus Relator novam formulam redigat ut sequenti die examinari possit.

**Adunatio II<sup>a</sup>**  
**die 10 februarii 1969 vespere habita**

*Can. 1867: de omissione defensionis*

Rev.mus Relator proponit ut initio canonis supprimantur verba «in causis contentiosis», quia sumus in parte «de iudicio contentioso», iuxta partitionem ex Codice Orientali acceptam.

Praeterea Rev.mus Relator, ne videatur in casu renuntiationis defensionis procedi posse deficientibus quoque defensionibus promotoris iustitiae et defensoris vinculi, proponit ut canon compleatur hoc modo:

«Si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut ..., poterit statim sententiam pronuntiare, *requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si iudicio intersint*».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

**CAPUT VIII**  
*De sententia*

*Can. 1868: definitio sententiae ac decreti*

Plures Consultores conveniunt in eliminandam definitionem sententiae, quam praebet can. 1866, § 1. Rev.mus Relator tamen censet stadium decisionis causae prospectari debere saltem in obliquo. Quod optime prae-statur a Ciprotti:<sup>2</sup>

«§ 1. Causa judiciali modo pertractata, si sit principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam; si sit incidens, per sententiam interlocutoriam».

<sup>2</sup> P. CIPROTTI, *Observationes al testo del Codex Iuris Canonici*, p. 99.

Suppressa definitione in § 1, Rev.mus Relator proponit ut pro debita proportione, etiam in § 2 definitio decreti supprimatur et adhibetur formula data a Rev.mo tertio Consultore in suo voto:

«§ 2. A sententiis distinguuntur ceterae iudicis pronuntiationes, seu decreta».

Nova redactio canonis omnibus placet, excepto Rev.mo secundo Consultore, qui eam acciperet tantum si definitio sententiae et decreti habetur in parte *De verborum significatione*.

*Can. 1869 § 1: de certitudine morali*

Rev.mus nonus Consultor vellet canonem ita mutare: «Sententia pronuntietur secundum fortiores et graviores probationes» et propositionem suam firmat per suggestionem factam ab Episcopis U.S.A. pro CIC recognitione.<sup>3</sup>

At Rev.mus quartus Consultor in suo voto (pp. 12-13) multa refert, quibus inspectis, concludit suggestionem Episcoporum U.S.A. acceptari non posse.

Rev.mus Relator, Rev.mum quartum Consultorem secutus, memorat magisterium P. Pii XII docens certitudinem moralem ad sententiam nullitatis matrimonii ferendam absolute requiri.<sup>4</sup>

Rev.mus octavus Consultor censem gradum certitudinis «secundum fortiores et graviores probationes» aequiparari posse certitudini morali.

Rev.mus quartus Consultor opponit Rev.mo octavo Consultori notionem certitudinis moralis quam praebet ipse Pius XII. Talis certitudo in eo distinguitur quod omne prudens dubium seu obiective fundatum omnino excludat; unde deducitur contrarium non esse probabile, quamvis possibile esse possit (cfr. *AAS*, 1942, pp. 338-343).<sup>5</sup>

Rev.mus quartus Consultor tradit etiam probabilem rationem ob quam in U.S.A. diffusa sit relata opinio, nempe sistema dictum *Common Law*, ubi sententia non habet eandem firmitatem quam induit in foro canonico, ac ideo potest sustineri a mera probabilitate.

Alii Consultores concordant cum Rev.mis Relatore et quarto Consultore.

<sup>3</sup> Cfr. *Committee report*, p. 106.

<sup>4</sup> Cfr. *AAS*, 1941, pp. 421-426.

<sup>5</sup> Cfr. *AAS*, 1942, pp. 338-343.

Rev.mus secundus Consultor praeterea proponit ut in canone dicatur quod moralis certitudo debeat esse « obiectiva ». Sed Rev.mus Relator talem additionem non admittit, quia status certitudinis est semper condicio *subjectiva*. Quod vero status certitudinis debeat habere fundamentum obiectivum, sat indubitanter videtur expressum in § 2.

Ideo Rev.mus Relator proponit ut § 1 maneat prouti est.  
Propositio omnibus placet.

*Can. 1869 § 2: de certitudine haurienda ex actis*

Servetur prouti est. Ita omnes Consultores.

*Can. 1869 § 3: de aestimatione probationum*

Circa § 3 duae habentur propositiones:

a) Rev.mus tertius Consultor vellet § 3 supprimere, eo quod norma iam implicite continetur in praecedentibus.

Sed Rev.mus Relator dicit normam esse necessariam quia hic est locus ubi lex canonica debet suam semitam seligere inter formalismum iuridicum et liberam probationum appetiationem.

b) Rev.mus quartus Consultor vellet numerare casus probationum exceptos a libera iudicis aestimatione. Proponit ut serventur probationes legales quae sunt clarae et nulli exceptioni obnoxiae, scilicet testis qualificatus, documenta publica et praesumptiones iuris. Aliae vero, quia multum a iudicis aestimatione pendent, melius systemati liberae probationis aestimationis subiicientur. De facto iurisprudentia hoc iam facere debuit, v.gr. quoad depositionem unius testis (cfr. S.R.R., decis. 7 novembris 1951, c. Mattioli).<sup>6</sup>

Rev.mus Relator censet numerationem propositam a Rev.mo quarto Consultore esse nimis strictam et rigidam pro illo qui probare debet. Utique vis probativa aliarum circumstantiarum, quae iure vigenti faciunt plenam probationem, non est ita apodictica sicut in casibus enumeratis a Rev.mo quarto Consultore. Sed curnam, quaerit Rev.mus Relator, hos casus deprimere et ponere in libera omnino aestimatione iudicum, quorum aliquis accipiet probationem, alter respuet?

His dictis Rev.mus Relator proponit ut § 3 servetur prouti est.  
Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

<sup>6</sup> Cfr. S.R.R., *Decis.* 7 novembris 1951, c. MATTIOLI.

*Can. 1869 § 4: pronuntiatio in defectu certitudinis*

Aliqui Consultores petunt ut loco «sibi efformare» dicatur «adipisci» (ut in Cod. Orient.) et loco «dimittat» ponatur «absolvat» (uti proponit Ciprotti, *o.c.*, p. 99).

Rev.mus quintus Consultor duas innovationes suadet: loco «dimittat» vel «absolvat» dicatur «absolutum dimittat»; loco «de causa favorabili» dicatur «de causa iuris favore fruente».

Ideo, omnia simul colligendo, et tollendo quoque verbum «reum» (quod male sonat), Rev.mus Relator hanc formulam proponit, quae omnibus placet:

«§ 4. Iudex qui eam certitudinem *adipisci* non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et *conventum absolutum dimittat*, nisi agatur *de causa iuris favore fruente*, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 1697 § 2».

*Can. 1870*

Rev.mus Relator notat quod prior pars canonis continet rem evidenter, nempe quod sententia ferri debeat expleta discussione causae.

Item Rev.mus tertius Consultor notat quod altera pars canonis, nempe de intervallo quod interponi potest inter finem discussionis et sententiam in causis implicatiioribus, inutilis quoque est, quia nullibi traditur mensura huius distantiae in causis ordinariis.

Ideo Rev.mus Relator proponit abolitionem canonis et inclusionem aliquam initio sequentis canonis.

Propositio omnibus placet.

*Can. 1871: de pronuntiatione sententiae in tribunali collegiali*

Nova elementa proponuntur introducenda in hunc canonem, scilicet:

- quod soli iudices interveniant sessioni (Rev.mus tertius Consultor);
- quod iudices debeant sua vota seorsim redigere (Rev.mus quartus Consultor);
- quod dies et hora decisionis praenotificetur partibus (Rev.mus Relator);
- quod pars dispositiva sententiae immediate redigatur et subscribatur (Rev.mus Relator);
- quod sententia, quamvis adhuc secreta, non possit retractari, nec de unanimi consensu collegii (Rev.mus Relator);

– quod pars dispositiva sententiae immediate communicari possit cum partibus (Rev.mus Relator), dummodo id ore, non scripto fiat (Rev.mus Secretarius);

– quod vota iudicium communicari possint (Rev.mus quartus Consultor) saltem ad instantiam partis (Rev.mi Secretarius et primus Consultor).

Committitur Rev.mo Relatori ut formulam canonis in proxima adunatione Consultoribus praebeat.

**Adunatio III<sup>a</sup>**  
**die 12 februarii 1969 mane habita**

Rev.mus Relator praebet Consultoribus novam formulam can. 1866:

«§ 1. Caveant advocati ne ad aures iudicis notitias et suggestionesingerant, quae extra acta causae vagent, quaeque adversarium lateant.

§ 2. Ad aliquod peculiare punctum quaestionis illustrandum haberi potest moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente, si iudex eam vel utilem censeat vel, alterutra parte postulanter, admittat.

§ 3. Ad disputationem obtaininendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda paucis verbis expressa; iudicis autem est ea cum partibus communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari.

§ 4. Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ex continentis referre».

Examinantur singulae paragraphi:

**§ 1**

Rev.mi sextus, septimus, tertius et nonus Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Etiam Rev.mus secundus Consultor concordat, dummodo dicatur «informationes orales» loco «notitias et suggestiones ad aures».

Rev.mus quartus Consultor proponit hanc formulam: «Advocatorum informationes de adjunctis iuris et facti, quae in causae actis non sint, videntur».

Rev.mus octavus Consultor vero hanc formulam proponit: «Si utile videatur iudex potest discussionem oralem admittere tam de iure quam de

facto sive privatim sive coram tribunalii praesentibus advocatis vel partibus, de qua in actis non constabit nisi aliter iudicii videatur».

Rev.mus Secretarius, contra Rev.mum octavum Consultorem, dicit non esse officium iudicis discussionem facere cum partibus. Praeterea iudex in privato non potest quidquam decernere quia iudicium debet esse publicum.

Rev.mus Relator animadvertisit normam hanc esse disciplinarem ad vietandum effectum psychologicum captationis animi iudicis, ideoque formulam Rev.mi octavi Consultoris non esse ad rem.

Suffragatur formula Rev.mi Relatoris quoad substantiam placeatne:

Placet n. 9; non placet n. 1.

Deinde sequentes emendationes proponuntur:

«... notitias praebeant aut suggestiones ingerant» loco «notitias et suggestiones ingerant» (Rev.mus Secretarius).

Placet omnibus.

«... quae extra acta causae *maneant*» loco «quae, ... vagent» (Rev.mus quintus Consultor).

Placet n. 8; non placet n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

«... inscia altera parte» loco «quaeque adversarium lateant» (Rev.mus primus Consultor).

Placet omnibus.

Rev.mus octavus Consultor dicit per suam positionem voluisse occasionem praebere advocatis et partibus ut discussiones privatas coram iudice haberent, quibus saepe saepius evenit ut partes iudicio renuntient.

Alii Consultores respondent locum aptum huius propositionis esse in titulo *De modis evitandi iudicium*.

## § 2

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «discussio» loco «disputatio» (omnibus placet).

Suffragatur placeatne formula § 2:

Placet n. 7; placet iuxta modum n. 2.

*Modus*: omittantur ultima verba «... vel, alterutra parte postulante, admittat»:

Placet n. 3; non placet n. 6.

## §§ 3 et 4

Formula proposita a Rev.mo Relatore omnibus placet, mutato verbo «disputatio» sicut in § 2.

Deinde Rev.mus Relator praebet Consultoribus formulam canonis 1871:

«§ 1. Expleta causae disceptatione, cito ad sententiae pronuntiationem deveniendum est, praenotificata a praeside die et hora sessionis non solum iudicibus, sed partibus aliisque intervenientibus in iudicio.

§ 2. Die statuta convenienti soli iudices et legant conclusiones, cum rationibus tum in iure tum in facto, quas singuli seorsum redegerint, in archivo tribunalis servandas.

§ 3. Habeatur moderata discussio, in qua fas est cuique a pristina sua conclusione recedere, praesertim ut constabiliatur, ad maioritatem suffragiorum, quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae, immediate redigenda et subscribenda.

§ 4. In redactione huius partis dispositivae, quae respondere debet dubio vel dubiis concordatis, adnotetur utrum decisio lata sit de unanimi iudicium consensu an ad maioritatem suffragiorum: quo ultimo in casu partes ius habent petendi exemplar conclusionum singulorum iudicium, reticitis eorum nominibus.

§ 5. Dummodo tribunal non decernat decisionem secreto servandam esse usque ad formalem sententiae publicationem, notarius causae decisionem cum partibus communicare valet, non tamen in scriptis, et quin ex tali notitia ullus dimanet iuridicus effectus.

§ 6. Sententia definitiva, eaque valida, etsi adhuc cum partibus non communicata, retractari non potest, nec de unanimi consensu collegii.

§ 7. Quodsi iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint, aut nequeant, poterit decisio differri, non autem ultra hebdomadam, nisi collegium decreverit coadiuvandas esse probationes».

Examinantur singulae paragraphi canonis 1871.

### § 1

Sequentes emendationes proponuntur, quae ab omnibus Consultoribus approbantur:

- omittantur verba «... non solum ... sed» (Rev.mus primus Consultor);
- dicatur «*praenotificatio*» loco «*praenotificata*» (Rev.mus septimus Consultor);
- dicatur «*quamprimum*» loco «*cito*» (Rev.mus secundus Consultor).

§ 2

Rev.mi sextus Consultor et Secretarius proponunt ut dicatur iudices convenire debere *in sede tribunalis*: «... convenient *in sede tribunalis soli iudices etc....*».

Rev.mi nonus et octavus Consultores non placet additio de sede tribunalis, quia aliquae dioeceses, praesertim in locis missionum, non habent sedem tribunalis.

Tunc Rev.mus primus Consultor proponit: «... convenient *in sede tribunalis, nisi peculiaris causa alium locum suadeat, soli iudices etc....*».

Propositio Rev.mi primi Consultoris omnibus placet.

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 12 februarii 1969 vespera habita**

Examinatur formula § 3 can. 1871.

Rev.mus primus Consultor vellet indicare ordinem praecedentiae quo iudices in discussione intervenire debent.

Sed alii Consultores dicunt id spectare ad ordinationes ipsius tribunalis vel ad consuetudinem localem.

Rev.mus secundus Consultor proponit hanc novam redactionem quae omnibus placet:

«Habita moderata discussione, in qua fas est cuique a pristina sua conclusione recedere, constabiliatur ad maioritatem suffragiorum etc....».

Rev.mus sextus Consultor proponit «licet» loco «fas est» (placet omnibus).

§ 4

Rev.mus sextus Consultor proponit: «... de unanimi iudicium *sententia*» loco «de unanimi iudicium consensu».

Propositio omnibus placet.

Rev.mi sextus et primus Consultores proponunt suppressionem verborum «quo ultimo in casu» ut *semper* partes ius habeant petendi exemplar conclusionum iudicium, et non tantum cum decisio lata est ad maioritatem suffragiorum.

Rev.mus Relator vero non vult illa verba supprimere quia neque necessarium neque aequum videtur ut semper conclusiones iudicium publici iuris fiant.

Suffragatur placeatne delere verba «quo ultimo in casu»:

Placet n.1; non placet n. 9.

Rev.mus septimus Consultor vult supprimere verba «quae respondere debet dubio vel dubiis concordatis», quae denuo habentur in can. 1873.

Propositio omnibus placet.

Rev.mi nonus et octavus Consultores volunt ut partibus nota fiant non tantum conclusiones singulorum iudicium, sed etiam nomina iudicium, ideoque proponunt ut supprimantur verba: «reticitis eorum nominibus».

Alii Consultores animadvertunt plura incommoda oritura si nomina iudicium nota fiant.

Tunc Rev.mi nonus et octavus Consultores concedunt ut verba «reticitis eorum nominibus» maneant, additis tamen verbis: «nisi ius particolare aliud ferat».

Suffragatur haec ultima propositio:

Placet n. 5; non placet n. 5.

### § 5

Rev.mus octavus Consultor proponit ut sententia, ubi primum cum partibus ante formalem publicationem communicata sit, statim iuridicos effectus pariat.

Omnes alii Consultores talem propositionem exprobrant, quia tantum post formalem publicationem sententiae innotescunt rationes tam in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur, quibusque persensis partes conclusiones trahunt etiam in ordinem ad appellationem.

Praeterea sequentes suggestiones habentur ad formulam expoliendam:

Rev.mi primus et secundus Consultores proponunt hanc mutationem: «Nisi aliud tribunal decernat, notarius causae decisionem cum partibus communicare valet etc...».

Propositio non placet.

Rev.mus Secretarius proponit: «... Causae decisionem cum partibus *ore* communicare valet», suppressis verbis «non tamen in scriptis».

Propositio omnibus placet.

Rev.mi sextus et quartus Consultores hanc mutationem proponunt, quae omnibus placet: «... notarius decisionem cum partibus *ore* communicare valet. Ex tali notitia nullus dimanat iuridicus effectus».

### § 6

Rev.mus sextus Consultor concedere vellet possibilitatem retractandi sententiam definitivam ubi cum partibus adhuc non sit communicata.

Rev.mus quintus Consultor concedere vellet talem possibilitatem cum sententia sit nulla ex defectu substantiali.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

Placet n. 8; se abstinet a sententia ferenda n. 1; non placet n. 1.

**§ 7**

Rev.mus secundus Consultor (cui accedunt Rev.mi sextus et septimus Consultores) dicit terminum unius hebdomadae, de quo in formula Rev.mi Relatoris, esse nimis brevem. Proponit ut si iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint aut nequeant, possit decisio differri saltem ad mensem, quia aliquando iudices in dissitis regionibus habitant.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

Placet n. 7; non placet n. 3.

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
**die 13 februarii 1969 mane habita**

*Can. 1872: de redactione sententiae*

Rev.mus Relator, Rev.mum quartum Consultorem sequens, hanc formulam proponit:

« § 1. Si iudex sit unicus, ipse sententiam exarabit.

§ 2. In tribunali collegiali ponentis seu relatoris est exarare sententiam, desumendo motiva ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicium praefinita fuerint motiva preferenda; sententia dein singulorum iudicium examini subiicienda est pro eorum approbatione et subsignatione.

§ 3. Sententia edenda est non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi, in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerint ».

Examinantur singulae paragraphi.

1) De § 1 nulla est difficultas.

2) De § 2 multae habentur discussiones:

a) Rev.mus quartus Consultor dicit formulam Rev.mi Relatoris codificare primum vigentem qua tribuitur ponenti seu relatori ut sententiam exaret.

Sed Rev.mus Secretarius fingit casum in quo ponens dedit votum negativum, dum alii iudices dederunt votum positivum. Nonne ponens merito peteret ut sententia exaretur a iudice qui dedit sententiam positivam? Ergo saltem referentia ad can. 1584 (1577 bis recognitum) servanda est, ne norma fiat nimis rigida.

Omnis Consultores concordant cum Rev.mo Secretario, ideoque formula completur per verba: «... relatoris est exarare sententiam *ad normam can. 1577. bis*, desumendo etc...».

b) Rev.mus Relator addere vellet praeterea haec verba: «... ad normam can. 1577 bis, quin detur declaratio de unanimi vel minus consensu iudicium, desumendo etc...» (placet n. 3; non placet 6; se abstinet a sententia ferenda 1).

c) Deinde aliqui Consultores proponunt ut supprimatur haec integra pericope: «desumendo motiva ex iis quae singuli iudices..., nisi... praefinita fuerint motiva praferenda».

Suffragatione autem facta, maioritas Consultorum (7 contra 3) est pro conservatione huius pericopes.

d) Quoad ultimam partem huius § sententiae Consultorum sunt omnino discordes, quare tantum per successivas suffragationes devenitur ad formulam finalem:

- omittatur integra pericope (placet 4; non placet 5; se abstinet a sententia ferenda 1);
- pericope ita sonet: «sententia autem a singulis iudicibus approbetur et subsignetur» (placet 3; non placet 7);
- pericope ita sonet: «sententia dein singulorum iudicium subsignationi subiicienda est» (placet 4; non placet 6);
- in formula Rev.mi Relatoris omittatur «et subsignatione» (placet 9; se abstinet a sententia ferenda 1);
- in formula Rev.mi Relatoris omittatur verbum «exmini» (placet 4; non placet 3; se abstinent a sententia ferenda 3).

His suffragationibus factis, pericope his verbis constare videtur: «sententia dein singulorum iudicium subiicienda est approbationi».

Suffragatur placeatne talis pericope:

Placet 7; non placet 2; se abstinet a sententia ferenda 1.

Rev.mus sextus Consultor quaerit: undenam talis approbatio constabit? Rev.mus Secretarius respondet approbationem constare debere ex actis.

3) Circa § 3 unica propositio Rev.mi octavi Consultoris habetur, qui supprimere vellet ultima verba «nisi in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerint».

Sed propositio nemini placet.

**Adunatio VI<sup>a</sup>**  
**die 13 februarii 1969 vespera habita**

*Can. 1873*

Rev.mus Relator animadvertisit § 2 huius canonis iam anticipatam esse in can. 1872. Canon 1873 ergo constabit tantum ex § 1, cuius Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Sententia debet:

1° Definire controversiam coram tribunali agitatam, data singulis dubiis congrua responsione;

2° Determinare quae sint partium obligationes et quomodo implendae sint;

3° Prout nunc est;

4° Prout nunc est».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut n. 2 ita mutetur: «Determinare quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implendae sint».

Propositio Rev.mi octavi Consultoris omnibus placet.

Rev.mi sextus, primus et secundus Consultores proponunt ut in n. 2 dicatur:

«... quae sint... obligationes et iura....».

Sed alii Consultores nolunt hanc mutationem inducere.

Rev.mus Relator proponit ut in n. 3 dicatur «tam in iure quam in facto» loco «tam in facto quam in iure».

Propositio omnibus placet.

*Can. 1874: de sententiae forma extrinseca*

Quoad § 1 Rev.mi nonus et octavus Consultores censem delendam esse quia invocatio divini Nominis est actus formalisticus.

Sed alii Consultores non accedunt ad talem propositionem.

Ideo Rev.mus Relator proponit ut § retineatur, demptis tantum verbis «ab initio», quia nomen Domini a quibusdam invocatur ante partem dispositivam.

Propositio Rev.mi Relatoris placet.

§ 2 manet prout est, adhibito verbo «pars conventa» loco verbi «reus».

Quoad § 3 Rev.mus quartus Consultor vellet verbum «petitionibus» et Rev.mus quintus Consultor verbum «positionibus» loco verbi «conclusi-  
nibus».

Sed aliis Consultoribus formula placet prouti est.

§ 4: maneat prouti est. Ita omnes Consultores.

Quoad § 5 sequentes animadversiones habentur:

a) Rev.mus quintus Consultor proponit ut habeatur etiam indicatio anni et mensis: «Claudatur cum indicatione *anni, mensis, diei et loci, etc.*».

Propositio omnibus placet.

b) Rev.mus Relator, Ciprotti secutus, proponit «... in quibus *prolata est* ...» loco «*exarata est*» (placet omnibus).

c) Rev.mus nonus Consultor vellet quod iudex, qui dissentit a maiori-  
tate, reservare seu salvare posset suam subscriptionem sententiae.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi noni Consultoris:

Placet n. 2; non placet n. 8.

Tunc Rev.mus primus Consultor proponit: «... et cum subscriptione iudicis vel ponentis et notarii, salvo iure particulari».

Rev.mus octavus Consultor autem proponit: «... et cum subscriptione iudicis vel, si plures fuerint, omnium iudicium aut saltem praesidis tribuna-  
lis vel relatoris, necnon notarii».

Rev.mus Relator vero proponit: «... et cum subscriptione iudicis, vel si plures fuerint, praesidis tribunalis et relatoris, prout ius particolare statue-  
rit, necnon notarii».

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:

Placet n. 9; placet iuxta modum n. 1.

*Modus*: dicatur «*vel* relatoris» loco «*et* relatoris».

d) Rev.mus Relator proponit ut in fine addatur: «ac sigillo tribunalis».

Placet n. 8; non placet n. 2.

**Adunatio VII<sup>a</sup>**  
**die 14 februarii 1969 mane habita**

*Can. 1875: extensio ad sententiam interlocutoriam*

Rev.mus Relator hanc formulam proponit ex suggestione Rev.morum Secretarii et quarti Consultoris:

«Regulae superius positae pro sententia definitiva sententiae quoque interlocutoriae aptandae sunt».

Formula omnibus placet.

*Can. 1876: de publicatione sententiae*

Canon maneat prout est. Ita omnes Consultores.

*Can. 1877: de modis publicationis*

Rev.mus secundus Consultor proponit ut statuatur clara distinctio inter publicationem et *intimationem*, quae distinctio necessaria videtur ut sententia exsecutioni mandari possit.

Etenim, in illis regionibus in quibus exsecutio sententiae pendet a potestate civili, ipsa sententia non acquirit vim exsecutivam nisi intimetur parti.

Si vero intimatio impossibilis evadat propter ignotum domicilium partis, tunc — ad normam procedurae civilis alicuius regionis — exsecutio sententiae non intimatae, non obstante eiusdem publicatione, dicitur: «*exsecutio in absentem*», et qua talis non perimit ius partis sese opponendi intra tempus «utile».

Rev.mus sextus Consultor censet difficultatem Rev.mi secundi Consultoris solvi posse si initio canonis dicatur: «Publicatio seu intimatio sententiae fieri potest etc...».

Propositio Rev.mi sexti Consultoris placet aliis, excepto Rev.mo quarto Consultore, qui asserit verbum «*intimatio*» plus dicere quam «*publicatio*».

Quoad modos publicationis sententiae, Rev.mi tertius et octavus Consultores volunt ut fieri possit «quocumque modo secundum praxim singulorum locorum efficacem».

Rev.mus Relator meminit in can. 1717 recognito statutos esse modos citationis et denuntiationis actorum, quibus modis publicatio quoque sententiae fieri posset.

Rev.mi Relator et Secretarius hanc formulam proponunt:

« Publicatio seu intimatio sententiae fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus aut eorum procuratoribus; vel eisdem transmittendo idem exemplar modis recensitis in can. 1717 ».

Formula omnibus placet.

## CAPUT IX

### *De iuris remediis contra sententiam*

Ante omnia habetur aliquae quaestiones generales:

#### 1) *De inscriptione capitinis et de loco can. 1878*

Rev.mus tertius Consultor quaerit num conveniat inscriptionem huius capitinis mutare. Ipse memorat quod vox «remedium» in CIC adhibetur in pluribus sensibus: in can. 1013 ex. gr. habetur «remedium concupiscentiae». Praeterea Consultor notat quod non omnia remedia sunt *contra sententiam* (v.gr. correctio sententiae). Ideo proponit hanc inscriptionem: *De emendatione et impugnatione sententiae*.

Rev.mus Relator, argumentis lexicalibus natus, propositionem Rev.mus tertii Consultoris probat, in supposito quod praesens caput comprehendat etiam correctionem materialem sententiae. At Rev.mus Relator, Rev.mus quartum Consultorem sequens, proponit ut can. 1878, de correctione materiali sententiae, ponatur in capite praecedenti *De sententia*. Canon 1878 enim non agit de remedio *contra sententiam* sed de illa melius exprimenda. Ceterum in Instr. *Provida Mater* articulus de hac re stat in Tit. *De sententia*. Quoniam propositio de retrotransferendo can. 1878 tamquam novissimo canone capitinis *De sententia* omnibus placet, inscriptio praesentis capitinis erit tantum *De impugnatione sententiae*.

#### 2) *De ordine quo'poni debeant singulæ impugnations*

Rev.mus Relator, suadentibus Rev.mis sexto et septimo Consultoribus, proponit ut tractatio *De querela nullitatis* anteponatur capiti *De appellatio-*ne. Ordo enim logicus exigit ut antea praevideatur quibus causis sententia sit nulla et quomodo haec nullitas declaretur; dein vero disponatur quomodo sententia valida impugnari possit.

Talis novus ordo, iam inductus ab Instr. *Provida Mater*, progressum signat, dicit Rev.mus Relator, ac proinde in novum Codicem recipi debet.

Consultores concordant omnes. Ideoque, etiamsi examen canonum procedat ordine nunc vigenti, in redactione finali ponendum est: Art. I: *de querela nullitatis*; Art. II: *de appellazione*.

*Can. 1878: de emendatione erroris materialis*

Circa hunc canonem sequentes quaestiones ponuntur:

a) *De persona correctoris*

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod iudices ecclesiastici saepe mutantur et incommode esset, praesertim in Missionibus, exigere personam physicam quae sententiam tulit ut ipsa emendationem faciat.

Rev.mus Relator consentit ex parte et notat quod CIC habet simpliciter «ipse iudex»; Codex Orientalis (can. 402): «ipse iudex qui sententiam tulit»; Ciprotti<sup>7</sup> proposuit iam: «ipsum tribunal quod sententiam tulit».

b) *De extensione correctionis*

Rev.mus quartus Consultor admittit correctionem: «quando agitur de errore materiali decisionem non afficiente, de responso dando articulo non definito, de interpretanda obscuritate decisionis».

Rev.mus decimus Consultor vult quod corrigi possint «quaedam inopportuna aut quae partem merito offendunt».

Rev.mus quintus Consultor vult extendere correctionem ad errores «in referendis rationibus quibus sententia innititur».

c) *De procedura correctionis*

Rev.mus sextus Consultor merito vult quod iudex procedere possit etiam ex officio.

Alii (Rev.mi quartus et quintus Consultores) proceduram «ex officio» admittunt tantum in causis boni publici.

Relate ad § 3, loco «si altera pars refragetur», Rev.mus sextus Consultor vult: «si una pars ...», et Rev.mus quartus Consultor: «si partes refragentur».

Rev.mus Relator censet quod institutum emendationis erroris debet quam maxime contineri, ne aequivaleat retractationi; ideo non potest comprehendere errores qui irrepserint in rationes decidendi, nec sese extendere ad sententiam interpretandam: ita haberetur sententia nova, vel sententia nulla fieri posset valida.

Rev.mus Relator praeterea censet quod iudex procedere possit ex officio ad talem correctionem materialem sive in causis boni publici sive in causis boni privati.

<sup>7</sup> *Op. cit.*

Rev.mus Relator hanc formulam proponit quae omnibus placet:

« § 1. Si error vel omissio materialis irrepererint in textu sententiae, sive in transcribenda parte dispositiva, sive in referendis factis aut partium petitionibus vel in ponendis calculis, sententia ipsa corrigi potest ab eodem tribunal i quod sententiam tulit sive ex officio, sive ad instantiam, auditis tamen partibus et edito decreto, quod ad calcem sententiae deferatur.

§ 2. Si qua pars refragetur, quaestio per causam incidentem definienda est, non servata forma iudicii».

Rev.mi quartus et secundus Consultores vellent 3<sup>am</sup> § addere qua tribuatur iudici facultas dandi interpretationem *mere declaratoriam* sententiae, cum sensus sententiae vel alicuius partis sententiae sit obscurus.

Sed aliis Consultoribus propositio non placet, quia talis facultas viam panderet abusibus et contestationibus.

Adunatio VIII<sup>a</sup>  
die 14 februarii 1969 vespere habita

ART. 1

*De appellatione*

*Can. 1879*

Rev.mus septimus Consultor, Ciprotti secutus,<sup>8</sup> proponit ut post verba «itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt», addatur: «vel ad quas, ad normam can. 1587, § 1, citari debuerant».

Rev.mus Relator animadvertisit quod in tali factispecie sententia laborat nullitate, ergo inutile esset dare facultatem appellandi a sententia nulla. Attamen appellatio potest cumulari cum querela nullitatis et, in casu, nisi facultas illa daretur, partes essent habiles ad querelam et non ad appellationem. His de causis, Rev.mus Relator concludit redigendam esse formulam magis genericam, quae non involvat contradictionem cum alio canone (sicuti in formula Ciprotti) et simul sartum tectum servet ius promotoris et defensoris vinculi impugnandi sententiam modo opportuniore.

<sup>8</sup> *Op. cit.*, p. 100.

Rev.mus sextus Consultor censet mentionem promotoris iustitiae et defensoris vinculi in canone omitti posse quia ex can. 1587 bis (recognito) ipsi includuntur sub verbo «pars».

At Rev.mus Secretarius censet talem mentionem in hoc canone esse necessariam quia agitur non de «parte» in genere, sed *de parte quae sententia se gravatam putat*.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit quae omnibus placet:

«Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus eorum praesentia requiritur, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem salvo praescripto can. 1880».

Rev.mus secundus Consultor, ex Lega, inducit possibilitatem disponendi in Ecclesia unam tantum pronuntiandam esse sententiam, de qua cumque controversia, exceptis causis de statu personarum.

Sed alii Consultores reiciunt talem suggestionem.

Rev.mus nonus Consultor vellet *expresse* mentionem hic facere quod appellatio non est obligatoria, sed tantum habetur ius quo quis uti potest.

Alii Consultores notant clarissimum esse hic agi tantum de iure, quin expresse dicatur non agi de obligatione.

#### *Can. 1880: a quibus sententiis appellatio non admittatur*

Rev.mus Relator singillatim casus ab appellatione exceptos proponit ut Consultores perpendant quinam casus sint abolendi, quinam ampliandi et quinam addendi:

1) «Non est locus appellationi a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae».

Rev.mus Relator proponit ut addatur: «... *vel S. Romanae Rotae lata vi-dentibus omnibus*», quia secundum aliquos auctores, (Robert, Goyeneche) in casu appellatio est impossibilis ob exhaustam hierarchiam iurisdictionis.

Suffragatur placeatne haec additio:

Placet n. 6; non placet n. 4.

Praeterea Rev.mus septimus Consultor vellet addere: «... salva facultate petendi beneficium novae audientiae».

Sed Rev.mus Relator et alii censem additionem non esse necessariam, quia hic excluditur tantum appellatio, non aliae concessiones ex gratia.

2) «... a sententia iudicis delegati a Sancta Sede, cum clausula “appellatione remota”».

Rev.mi Relator et primus Consultor proponunt ut hic casus omittatur in novo Codice, quia fere numquam evenit. Norma enim originem habuit in peculiaribus circumstantiis quae hodie non amplius vigent.

Alii Consultores concordant pro suppressione.

3) «... a sententia vitio nullitatis infecta».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut addatur «nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam can. 1895» (placet n. 9; non placet n. 1).

4) «... a sententia quae in rem iudicatam transiit».

Omnibus placet ut servetur prout iacet.

5) «... a definitiva quae iure iurando litis decisorio innixa est».

Rev.mus Relator (consentientibus omnibus) dicit casum omittendum esse quia in revisione suppressum est tale iuramentum, et ubi forte vigeat, providebit ius particulare.

6) «... a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae».

Circa hunc casum duae suggestiones habentur:

a) Rev.mus quartus Consultor vult addere: «a decreto *sive ordinatorio sive decisorio*».

Rev.mus Relator, contra Rev.mum quartum Consultorem, animadvertisit notionem distinctionis inter decretum ordinatorium et decisorium esse incertam et quaestionem de vi definitiva alicuius provisionis iudicis esse gravissimam et pene fundamentalem in re iudiciaria.<sup>9</sup> Ad rem conferri potest iurisprudentia Signaturae Apostolicae,<sup>10</sup> quae admittit quod, si decisio praeiudicans sententiam definitivam exhibeat quidem formam decreti, sed habeat substantiam sententiae, est appellabilis.

Iamvero additio proposita a Rev.mo quarto Consultore, censet Rev.mus Relator, auget periculum, quod praecavere intendit Signatura Apostolica, quia per illam additionem tribuitur expressa immunitas etiam *decretis decisoriis*, quae non semper sunt inappellabilia.

Ideo, concludit Rev.mus Relator, nisi arrideat aliqua nova formula apriori, melius est ut immutata maneat praesens formula Codicis, cuius aequilibritas iam sat difficilis est.

<sup>9</sup> Cfr. LEGA-BARTOCETTI, II, p. 929, n. 2.

<sup>10</sup> C. NOVARIEN., d. 30 iulii 1911, *AAS*, III, p. 359.

Rev.mus Secretarius committit Rev.mis primo et quarto Consultoribus ut quaestionem profundius considerent ac de ipsa solutionem proponant Coetui in proxima Sessione.

Recognitio n. 6 ergo dilata est.

b) Rev.mus secundus Consultor illustrat difficultatem quae procedit ex non appellabilitate sententiae interlocutoriae, cum haec imponit pensionem alimentarem, quae ita solvi debet per plures annos, usque ad sententiam definitivam.

Rev.mus Relator animadvertisit quod in casu recurrunt duo opposita postulata: necessitas corporalis («venter non patitur moras») et necessitas iustitiae. Solutio forte haberi posset si conficeretur index casuum in quibus sententia interlocutoria sit appellabilis, at confessio talis indicis videtur esse ardua et fere impossibilis. Rev.mus Relator censet melius esse rem relinquere iurisprudentiae ac doctrinae, iuxta quas, in casu proposito a Rev.mo secundo Consultore, sententia interlocutoria est appellabilis, quia «habet vim definitivae ex subiecta materia, quippe condemnationem continet ad aliquid dandum vel faciendum».<sup>11</sup>

Rev.mus Secretarius committit Rev.mo secundo Consultori ut nitatur aliquem indicem casuum confidere in quibus sententia interlocutoria sit appellabilis.

7) Quando ius caveat «rem expeditissime esse definiendam».

Rev.mus Relator proponit ut dicatur «de qua» loco «pro qua».

Rev.mus primus Consultor proponit ut addatur haec exceptio «salvo praescripto can. 1675 bis».

Alii Consultores concordant sive cum Rev.mo Relatore sive cum Rev.mo primo Consultore.

8) Sententia contra contumacem.

Rev.mus Relator proponit ut hic casus supprimatur, quia institutum contumaciae mutatum est.

Propositio omnibus placet.

9) Quando quis appellationi renuntiavit.

Aliqui Consultores petunt ut talis casus supprimatur quia quis non debet habere tale ius antequam videat rationes sententiae (Rev.mus nonus Consultor) et quia sufficit ut quis de facto non appelle, quin praeviamente renuntiationem faciat (Rev.mus primus Consultor). Præviamente renun-

<sup>11</sup> LEGA-BARTOCCKETTI, II, p. 931, n. 4, e.

tiationem imprudenter quis facit et Ecclesia non debet talem imprudentiam in lege canonizare (Rev.mus quartus Consultor).

Propositio suppressionis omnibus placet.

10) Rev.mus Relator accedit ad propositionem Rev.morum septimi, primi et quinti Consultorum ut alias casus addatur ne nempe sit locus appellationi «a sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam a nationali Conferentia Episcoporum praefinitam».<sup>12</sup>

Rev.mus sextus Consultor consentit sed vult «a iure particulari» loco «a nationali Conferentia Episcoporum».

Additio huius novi casus, cum emendatione Rev.mi sexti Consultoris, omnibus placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut alias casus addatur, ne nempe sit locus appellationi «a sententia lata ex bono et aequo».

Rev.mus Relator animadvertisit propositam additionem respicere compromissum in arbitros. Decisio autem arbitrorum non est proprie sententia, nec ulla in CIC praescribitur procedura. Nisi ergo modificetur institutum arbitratus (quod optandum est) proposita additio acceptari nequit.

Ideo propositio Rev.mi tertii Consultoris examinabitur post recognitio-nem instituti arbitratus.

Animadversio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Textus can. 1880 sequens erit:

«Non est locus appellationi:

1º A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae vel S. Romanae Rotae lata videntibus omnibus;

2º A sententia vitio nullitatis infecta, nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam can. 1895;

3º A sententia quae in rem iudicatam transiit;

4º A iudicis decreto etc. ... (redactio formulae definitivae dilata est).

5º A sententia in causa de qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam, salvo praescripto can. 1675 bis;

6º A sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam a iure particulari praefinitam».

<sup>12</sup> Cfr. can. 404; n. 10 Codicis Orientalis.

**Adunatio IX<sup>a</sup>**  
**die 15 februarii 1969 mane habita**

*Can. 1881: appellationis interpositio*

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

*a)* Aliqui, ex Ciprotti, proponunt ut loco «inter decem dies» dicatur «intra peremptorium terminum decem dierum».

Sed propositio non placet.

*b)* Rev.mus secundus Consultor vult ut declaretur iudicem a quo nullam aliam habere facultatem nisi recipiendi et transmittendi libellum appellationis, quin valeat libellum reiicere, v. gr. ob elapsa fatalia, quia post sententiam iudex iam non habet iurisdictionem circa eandem causam.

Rev.mi octavus et nonus Consultores proponunt ut appellatio interpolatur coram iudice appellationis, admonito iudice a quo.

Rev.mus sextus Consultor vero proponit ut actualis textus canonis 1881 sit § 1 cui addatur § 2 his verbis:

«Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis».

Propositio Rev.mi sexti Consultoris omnibus placet.

*c)* Rev.mus tertius Consultor proponit ut in § 1 haec verba addantur: «Defensor autem vinculi in sententia a qua ex officio appellare debet id facere potest etiam elapso decennio».

Propositio nemini placet.

*Can. 1882: quomodo appellatio interponatur*

Rev.mus primus Consultor vult ut appellatio semper in scriptis interponatur.

Rev.mi Relator et sextus Consultor novam formulam canonis redigunt his verbis:

«Appellationis interpositio in scriptis facienda est. In casu autem de quo in can. 1707, ore proposita admittitur et statim ab actuario scriptis redigatur».

Formula omnibus placet.

*De appellatione ad delegantem*

Quia in Codice Orientali habetur canon de hac appellatione ad delegantem, Rev.mi sextus, quartus et quintus Consultores volunt hic ponere eandem provisionem.

Actuarius meminit recognitionem cann. 1606-1607, de tribunali delegato, dilatam fuisse. Proinde de hac propositione, addendi nempe can. 1882 bis, ratio habebitur cum illa recognitio fiet.

*Can. 1882 bis*

Rev.mi sextus et secundus Consultores proponunt ut recipiatur in novum Codicem dispositio Codicis Orientalis (can. 408) de solvendo concursu inter duo diversa tribunalia:

«Si alia pars ad tribunal Apostolicae Sedis appellaverit, alia ad aliud competens, appellatio prosequenda est coram tribunali Apostolicae Sedis».

Propositio omnibus placet.

*Can. 1883: de prosecutione appellationis*

Circa hunc canonem sequentes suggestiones habentur:

a) Tollantur locutiones «iudex a quo», «iudex ad quem» sicuti factum est in can. 409 Codicis Orientalis (Rev.mus tertius Consultor).

b) Dicatur «incohatio appellationis» loco «prosecutio appellationis», ne intelligatur de mense concesso ad definiendam causam (Rev.mus sextus Consultor).

c) Dicatur: «... nisi iudex ... longius tempus ... *per decretum* parti praestituerit» (Rev.mi sextus et quintus Consultores).

Post has animadversiones, Rev.mus Relator hanc formulam proponit quae omnibus placet:

«Appellatio prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo facta est appellatio longius tempus ad eam prosequendam, iusta de causa per decretum parti praestituerit».

*Can. 1884: quid requiratur ad appellationem prosequendam*

Rev.mus primus Consultor proponit ut § 2 supprimatur et recognoscatur tantum § 1.

Propositio omnibus placet.

Rev.mus Relator, attentis votis Consultorum qui volunt formulam magis expolitam, sicuti factum est in Codice Orientali, ita proponit:

«Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis appellationis ad sententiae reformationem, adjuncto exemplari sententiae impugnatae et libelli interpositae appellationis».

Rev.mi primus, quartus et octavus Consultores supprimere vellent secundam partem canonis quia transmissio exemplaris sententiae impugnatae et libelli interpositae appellationis facienda esset ex officio.

Sed Rev.mi Secretarius et Relator respondent talem transmissionem faciendam esse a parte propter connexionem actuum iudicialium. Secus enim iudex appellationis non posset videre immediate de legitimitate appellationis nec transmissionem actorum praecipere.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

Placet n. 8; non placet n. 2.

*Can. 1885: quid si status litigantium immutetur tempore appellationis*

Rev.mi tertius et quintus Consultores proponunt ut vitetur remissio ad can. 1733.

Rev.mus Relator, partim Rev.mum tertium Consultorem, partim Codicem Orientalem (can. 411) securus, hanc formulam proponit:

«§ 1. Si, appellatione adhuc non interposita, intra terminum ad appellandum utilem, pars moriat, aut statum mutet, aut cesseret ab officio cuius ratione agit, sententia debet iis quorum interest denuntiari.

§ 2. Iis quorum interest concessi intelliguntur termini a iure statuti ad appellandum, a die denuntiationis computandi.

§ 3. Si casus de quibus in § 1 contigerint postquam appellatum fuerit, appellatio interposita iisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in §§ 2 et 3 dicatur: «... a die receptae denuntiationis...».

Formula canonis, cum emendatione Rev.mi octavi Consultoris, omnibus placet.

*Can. 1886: appellationis desertio*

Rev.mus quartus Consultor, referendo Ciprotti, adnotat quod, si appellatio non fuit interposita, non potest dici deserta.

Rev.mus Relator consentit et adnotat quod in iure canonico cognoscitur non tantum appellatio deserta et perempta, sed etiam defectus appellationis (cfr. Instr. *Provida Mater*, art. 217, § 1). Ideo Rev.mus Relator formulam Ciprotti proponit:

«Inutiliter elapsis fatalibus ad prosequendam appellationem statutis, deserta censemur appellatio».

Rev.mus sextus Consultor proponit: «... sive ad interponendam sive ad prosequendam appellationem...».

Rev.mus Secretarius proponit: «appellatio deficit» loco «deserta censemur appellatio».

Formula cum emendationibus Rev.morum sexti Consultoris et Secretarii omnibus placet.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

CAPUT VII

*De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione*

*Can. 1858*

§ 1. Ante causae discussionem omnes probationes quae sunt in actis et secretæ permanerunt sunt publicandæ, ut partes sese defendere possint, attento etiam praescripto can. 1892.

§ 2. Publicatio processus fit concessa partibus earumque advocatis licentia acta iudicia lata inspiciendi petendique eorum exemplar.

*Can. 1860*

§ 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa devenitur.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarant se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declarat se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

*Can. 1861*

§ 1. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primun repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt, aut de supplendis a iudice probationibus in causis boni publici.

§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, auditæ altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit.

*Can. 1862*

§ 1. Facta conclusione in causa, iudex partibus vel earum patronis, nec non promotori iustitiae ac vinculi defensori, si iudicio intersint, congruum

temporis spatium praestitutum ad defensiones suas vel animadversiones exhibendas.

§ 2. Hic terminus, sicuti aliis de quo in can. 1865, § 1, prorogari a iudice potest, instantे una parte, aut promotore iustitiae vel defensore vinculi, aliis auditis; vel etiam coarctari, consentientibus tamen omnibus.

*Can. 1863*

§ 1. Defensiones et animadversiones sint in scriptis, veritati, claritati ac iuri conformes, logice ordinatae, breves et subscriptae ab auctore.

§ 2. Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimantur, praevia iudicis licentia requiritur, salva secreti obligatione, si qua sit servanda.

§ 3. Quoad extensionem defensionum, numerum exemplarum, aliaque huiusmodi adjuncta, servetur ius particulare vel ordinatio tribunalis.

*Can. 1865*

§ 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus, utriusque parti responsiones exhibere licet, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 1863.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censetur.

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum replicandi partium responsionibus.

*Can. 1866*

§ 1. Caveant advocati ne ad aures iudicis notitias praebeant quae extra acta causae maneant, inscia altera parte.

§ 2. Ad aliquod peculiare punctum quaestionis illustrandum haberi potest moderata discussio coram iudice pro tribunali sedente, si iudex eam vel utilem censeat vel, alterutra parte postulante, admittat.

§ 3. Ad discussionem obtainendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda paucis verbis expressa; iudicis autem est ea cum partibus communicare, ac diem et horam discussioni assignare et discussionem ipsam moderari.

§ 4. Discussioni assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ex continenti referre.

*Can. 1867*

Si partes parare sibi tempore utili defensionem negligent, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare, requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae vel, defensoris vinculi, si iudicio intersint.

## CAPUT VIII

*De sententia**Can. 1868*

§ 1. Causa iudicali modo pertractata, si sit principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam; si sit incidens, per sententiam interlocutoriam.

§ 2. A sententiis distinguuntur ceterae iudicis pronuntiationes, seu decreta.

*Can. 1869*

§ 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.

§ 4. Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 1697 § 2.

*Can. 1871*

§ 1. Expleta causae disceptatione, quamprimum ad sententiae pronuntiationem deveniendum est, praenotificatis a praeside die et hora sessionis iudicibus, partibus aliisque intervenientibus in iudicio.

§ 2. Die statuta convenient in sede tribunalis, nisi peculiaris causa alium locum suadeat, soli iudices et legant conclusiones, cum rationibus tum in iure tum in facto, quas singuli seorsum redegerint, in archivo tribunalis servandas.

§ 3. Habita moderata discussione, in qua licet cuique a pristina sua conclusione recedere, constabiliatur, ad maioritatem suffragiorum, quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae, immediate redigenda et subscribenda.

§ 4. In redactione huius partis dispositivae adnotetur utrum decisio lata sit de unanimi iudicium sententia an ad maioritatem suffragiorum: quo ultimo in casu partes ius habent petendi exemplar conclusionum singulorum iudicium, reticulis eorum nominibus (nisi ius particulare aliud ferat).<sup>13</sup>

§ 5. Dummodo tribunal non decernat decisionem secreto servandam esse usque ad formalem sententiae publicationem, notarius decisionem cum partibus ore communicare valet. Ex tali notitia nullus dimanat iuridicus effectus.

§ 6. Sententia definitiva, eaque valida, etsi adhuc cum partibus non communicata, retractari non potest, nec de unanimi consensu collegii.

§ 7. Quodsi iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint, aut nequeant, poterit decisio differri, non autem ultra hebdomadam, nisi collegium decreverit coadiuvandas esse probationes.

#### *Can. 1872*

§ 1. Si iudex sit unicus, ipse sententiam exarabit.

§ 2. In tribunali collegiali ponentis seu relatoris est exarare sententiam ad normam can. 1577 bis, desumendo motiva ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicium praefinita fuerint motiva praferenda; sententia dein singulorum iudicium subiicienda est approbationi.

§ 3. Sententia edenda est non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi, in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestuerint.

#### *Can. 1873*

Sententia debet:

1º Definire controversiam coram tribunali agitatam, data singulis dubiis congrua responsione;

2º Determinare quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implendae sint;

<sup>13</sup> De verbis intra uncos exitus suffragationis fuit: placet n. 5; non placet n. 5.

3º Continere rationes seu motiva quae dicuntur, tam in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur;

4º Statuere de litis expensis.

*Can. 1874*

§ 1. Sententia ferri debet, divino Nomine semper invocato.

§ 2. Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, pars conventa, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

§ 3. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.

§ 4. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.

§ 5. Claudatur cum indicatione anni, mensis, diei et loci in quibus prolatum est, cum subscriptione iudicis, vel si plures fuerint, praesidis tribunalis et relatoris, prout ius particulare statuerit, necnon notarii, ac sigillo tribunalis.

*Can. 1875*

Regulae superius positae pro sententia definitiva sententiae quoque interlocutoriae aptandae sunt.

*Can. 1876*

Sententia, hac ratione redacta, quamprimum publicetur.

*Can. 1877*

Publicatio seu intimatio sententiae fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus aut earum procuratoribus; vel eisdem transmittendo idem exemplar modis recensitis in can. 1717.

*Can. 1878*

§ 1. Si error vel omissio materialis irrepserint in textu sententiae, sive in transcribenda parte dispositiva, sive in referendis factis aut partium petitionibus, vel in ponendis calculis, sententia ipsa corrigi potest ab eodem tribunali quod sententiam tulit sive ex officio, sive ad instantiam, auditis tamen partibus et edito decreto, quod ad calcem sententiae deferatur.

§ 2. Si qua pars refragetur, quaestio per causam incidentem definienda est, non servata forma iudicii.

## CAPUT IX

*De impugnatione sententiae*

## ART. 1

*De Appellacione<sup>14</sup>**Can. 1879*

Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus eorum praesentia requiritur, ius habet a sententia appellandi ad iudicem superiorem, salvo praescripto can. 1880.

*Can. 1880*

Non est locus appellacioni:

1º a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae vel S. Romanae Rotae lata videntibus omnibus;

2º a sententia vitio nullitatis infecta, nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam can. 1895;

3º a sententia quae in rem iudicatam transiit;

4º a iudicis decreto etc. ... (redactio formulae definitivae dilata est);

5º a sententia in causa de qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam, salvo praescripto canonis 1675 bis;

6º a sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam a iure particulari praefinitam.

*Can. 1881*

§ 1. Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.

§ 2. Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis.

*Can. 1882*

Appellationis interpositio in scriptis facienda est. In casu autem de quo in can. 1707 ore proposita admittitur et statim ab actuario scriptis redigatur.

<sup>14</sup> In redactione definitiva canonum art. de appellatione erit art. II et art. de querela nullitatis erit art. 1.

*Can. 1882 bis*

Si alia pars ad tribunal Apostolicae Sedis appellaverit, alia ad aliud competens, appellatio prosequenda est coram tribunali Apostolicae Sedis.

*Can. 1883*

Appellatio prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensum ab eius interpositione, nisi iudex a quo facta est appellatio longius tempus ad eam prosequendam, iusta de causa per decretum parti praestituerit.

*Can. 1884*

Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis appellationis ad sententiae reformationem, adiuncto exemplari sententiae impugnatae et libelli interpositae appellationis.

*Can. 1885*

§ 1. Si, appellatione adhuc non interposita, intra terminum ad appellandum utilem, pars moriatur, aut statum mutet; aut cesset ab officio cuius ratione agit, sententia debet iis quorum interest denuntiari.

§ 2. Iis quorum interest concessi intelliguntur termini a iure statuti ad appellandum, a die receptae denuntiationis computandi.

§ 3. Si casus de quibus in § 1 contigerint postquam appellatum fuerit, appellatio interposita iisdem denuntietur, in quorum favorem a die receptae denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam.

*Can. 1886*

Inutiliter elapsis fatalibus sive ad interponendam sive ad prosequendam appellationem, appellatio deficit.

